

tiam, Caipham non tam voluisse, ut Christus sua morte aeternam salutem toti humano generi repararet, quae si mens pontificis fuisset, sane fidem Christo haudquaquam denegasset; sed potius judicasse eum, e re populi fore, si Christus pro malo quodam gravissimo ab Hebraeorum gente averruncando tanquam *πεινάθηκα* I Cor. IV, 13. deoveretur.

§ 10.

Duo denique numeramus exempla in sacris literis memoriae prodita virorum, qui vere devoti sunt pro pluribus, Ionae scilicet et Christi. Ille enim quum in summo cum nautis, quorum societatem petierat, versaretur periculo, forte deprehensus est is, in quem totius mali imminentis culpa transferenda esset. Monitus itaque Jonas conscientia injuste factorum petit, ut pro cunctis devoveatur Ion. I, 12. atque in mare projiciatur, quo facto fore affirmat, ut maris aestus remittat, idque tranquillum reddatur. Egregia et in hac parte Jonas imago Christi, non pro multis, ut ille, sed pro omnibus, quotquot in terrarum orbe numerantur, hominibus devoti. Inter rem ipsam seu mortem Christi, et devotionem, permagnam intercedere similitudinem nemo dubitat. Dicitur enim *αὐτοῦ ψυχος* Matthæi XX, 28. Marc. X, 45. qui eum in finem inter homines ambulaverit, ut posset δεναγήσειν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον αὐτῷ πολλῶν. Imo devoti sive execrati nomen gerit Gal. III, 13. ubi non tan-

)()(

tum